(a) **ECCLESIA VISIBILIS ERRARE POTEST fide & moribus.**

Qualis, ab incerto ventorum pulſa furore,
Errat in ignota naufraga puppis aqua;
Et nunc picta latus nigris aſpergitur vndis,
Nunc falſam inconſtans itque reditque viam:
Talis in externo ſyncera Eccleſia cultu,
Nec vitam præſtat, nec ſine labe fidem.
Aſpice, triticeis latè canentibus arvis,
Quàm multo ſterilis regnet arena loco:
Aſpice, cùm feſſus piſcator retia ducit,
Quàm crebrò in medijs piſcibus alga natet.
Non ſecùs innumeros Eccleſia ſacra profanos
Educat, inque ſinu credula mater alit.
Et tamen eſt (inſana piæ fiducia mentis)
Securam in tantis qui velit eſſe malis.
Ille nec in media, credo, torrebitur Aetna
Nudus, & in liquidis non madefiet aquis.
Quin animo potius primi malefacta Parentis,
Turpiter à Domino deficientis, habe.
Infidum, ingratumque Deo quæ neſciet ætas?
Occidit in miſero cum pietate fides.
Quid memorem ſacro conjunctum fœdere cœtum,
Et reliquos quorum nomina ſola manent?
Credis ita eraſos tam juſti Regis alumnos,
Vt tamen ipſorum crimen ineſſe neges?

Ergo

Nos, quibus eſt melior ſenſus, peccare fatemur,
Et fidei, & morum dexteritate, pios.

(b) **SCRIPTVRA EST IVDEX SVFFICIENS omnium de religione Controverſiarum.**

Non quia ficta ſuos induxit ſcæna penates,
Fas verum è machina conſuluiſſe Iovem.
Poſſe Deum vidiſſe nefas, vbi poſſe negatum eſt,
Edidit arbitrij nuncia verba ſui.
Certa ſacroſanctis extant reſponſa Prophetis,
Veraq; Apoſtolici ſcripta relicta chori.
Arbiter hinc litis certamina ſiſtit, & æquo
Impoſitum iudex pondere librat onus.
Vidimus humanas certo ſub iudice lites
Eſſe, nec augurio cauſa probanda novo eſt.
Plato ſuis placuit, reliquis aliena probantur:
Sæpius & dici ſufficit, αὐτὸς ἔφη.
Quid non ipſa omni Scriptura potentior arte,
Solveret arbitrio ſubijcienda ſuo?
Solvet: &, vt dici ſolet, ornatiſſima ſemper
Scripta extant, author quæ precioſa facit.
Iſta Deum referet, preciumq; authore redemit,
Quam ſi qua lateat lis, latet illa Iovem.
Nec ſeptemgemina ſeries ita commoda Romæ eſt,
Præferat vt ſummo iuſſa profana Deo.
Illa Patres petet, & ſancti monumenta Senatus:
Signa Patres vitij, ſigna Senatus habet.
Et quæ nec Patres ſolvent, neq; iura Senatus,
Italus occluſum pectore Præſul habet?
Longiùs à primo veluti quò fonte recedis,
Hoc magis inſipidas hauriet vrna lacus.
Scripturæ cedunt ſacri monumenta Senatus,
Concilijs Patres, Patribus ipſe Papa.
Sola Deo veri præſagia nota ſuperſunt:
Scriptura arbitrij nuncia ſola Dei.

Ergo ſufficiens iudex SCRIPTVRA, vel ipſe
Scripti inſufficiens, Spiritus, author erit.